



**T**heodo filius fuit Theodonis secundi ducis Boiorum, qui gentis uæ pacem peperit & 10  
ginqvæ peregrinationi finem fecit. Cum itaque Theodo & fratres parentis funeri ritu patrio iusta absoluissent, ipsi Boioariam armis à parēte acquisitam inter se diuiserunt. Theodo, qui & æta-  
te & uirtute alios superabat, Nariscos, Regino-  
burgium & ea loca, quæ inferiorem Bauariam di-  
cunt, inter Oenum & Danubium possedit. Theo-  
doualda Pisonium & Athesinos montes accepit.  
Vtto Laureacum & Noricum Ripense obtinuit,  
ab eo pontes Oeni restaurati Vtinum dicti sunt.  
quos hodie Otingā uocamus. Eo tempore Theo-  
dobertus Theodorici filius Francis imperabat. is huic Theodonis filiam suam  
Reginotrudam uxorem obtulit, atq S. Ruperto in mandatis dedit, ut Boijs  
magna diligentia Christum prædicaret. Itaque Rupertus cum duodecim Sy-  
mystis Reginoburgum profectus, Theodonem & eius familiam in uera reli-  
gione instituit, atque uanam gentium superstitionem confutauit. Hinc fa-  
ctum ut explosō idolorum cultu Boij ueram Christianorum doctrinam am-  
plete rentur.